



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

B. Jacobus Venetus. 31. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

316 VITÆ SANCTORUM. 31. Maii.
Illi urbis portæ ad preces, quoties libuit,
patuerunt: illum mortuum omnis Con-
stantinopolis tam luxit, ut unicum homi-
nem omnium humeris crederes efferri.
Ex Metaphr. & Menol.

Cooperatores sumus gratiæ Dei: non enim
dormientibus provenit regnum cœlorum, nec
otio desidiaque torpentibus beatitudo eter-
nitates ingeritur: sed, quia si compatimur,
conglorificabimur, illa nobis currenda est
via, quam ipse Dominus se esse testatus est.
S. Leo serm. 5. de Epiph.

B. JACOBUS VENETUS. 31. Maii.

Quid matrem crepas pueritia, quid
patrem, scopulos sæpè filiorum? Si
cælo digna es, nunquam orba eris, ca-
lum te adoptabit. Ecce J A C O B U S cum
patre matrem puer amisit. At ayia ejus,
lectissima matrona, matrem illi dulcio-
rem M a r i a m ostendit, cuius si hora-
rias preces tantisper recitaret (& tempus
definiebat) præmia cupido pollicita est:
qua et si illa non persolvit, perrexit ta-
men J A C O B U S officium suum facere,
& horas Marianas quotidie decurrere.
Ita filius M a r i æ in D. Dominicii fami-
liâ patrem etiam Iesum invenit, cuius uti
nuper M a r i æ, nomen ita animo infi-
xum gestabat, uti tunc obliisci horum
posse videretur, si patris & matris posset.
Ex Divis præterea præcipuâ veneratione
cole-

31. Maii. VITÆ SANCTORUM. 347
colebat Ascidum, & victorium MM.
quorum officium dum ad XVII. No-
vemb. in horto recitat, vernum præ-
mium rosam recentem abstulit, an-
niversariam postea, quemadmodum a-
junt, miraculum. Romæ quoque D. Se-
bastiani porta clausa aliis, pietati JACO-
BI ultrò patuit. Linguae petulantiam si
quisquam alias, ille odit. Itaque illud
Augustini ex eo crebro audivisse, Felix
lingua, quæ non novit, nisi de divinis te-
xere sermonem. Obiit anno M. CCC.
XIV. cum carcinomate IV. annos labo-
rans egregia patientiæ documenta edidis-
set, certus antè de fato, & hora fati.
Reliquit post se, præter binos mortuos
in vitam reductos, alia CCC. XXXVIII.
miracula, familiarem Divis hereditatem.
Ex Brzovio, 14. tom. Annal. Eccl.

Securum jam habet homo accessum ad
Deum, ubi mediatorem causæ sue Filium
habet ante Patrem, & ante Filium Ma-
trem. Christus Patri ostendit latus &
vulnera, Maria Christo pectus & ubera:
nec potest esse repulsa, ubi concurrunt &
orante omni lingua disertius haec clementie
monumenta, & charitatis insignia. B. Arn.
Car. L. de B. M. v.

S. S.I.